DE

FONTIBUS ET AUCTORITATE DIONYSII HALICARNASSENSIS.

PARTICULA PRIMA.

DISSERTATIO

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

PRO SUMMIS

IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XVIII. MENS. APRIL. A. MDCCCXLVI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IOANNES KUSCHEL.

WRATISLAVIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSTINEBUNT:

H. SCHEDLER, DR. PHIL.

TH. GRUHMANN, CAND. PHIL.

L. MARKS, STUD. PHIL.

WRATISLAVIAE.

TYPIS OFFICINAE ROBERTI LUCAE.

Praefatio.

Dionysium Halicarnassensem ad Romanorum antiquitates cognoscendas plurimum valere omnes, qui horum studiorum rationem ingressi sunt, concedunt. Nam tanta rerum copia ac varietate archaeologia eius distincta est, ut Romanorum sive sacra sacerdotiaque sive formam reipublicae sive rem militarem sive iura publica privataque quaesiveris, eum saepe aut unum aut paucis cum aliis habeas auctorem. Cuius opus etsi argumento egregie commendatur, tamen ut plane quanti sit faciendum intelligatur, aliud quoque respici oportet: indagandum esse dico quo ex fontium genere quodque hauserit. Ac verum quidem est, ex quo Beaufortius (sur l'incertutude des cinq premiers siecles de l'histoire romaine p. 124 seqq.) acrior Dionysii iudex exstitit, complures viros summo ingenio praeditos, ut Niebuhrium, Wachsmuthium, de eo disputasse, ut qui ad eius fidem inquirendam accedat, nullo modo scriptis eorum utilissimis possit carere, sed pro consilio, quod suo quisque libro subiecit, omnia examinare ea, qua par erat, diligentia nec voluerunt nec potuerunt.

Itaque non vereor, ne quis me actum agere dicat Dionysii fontes explorantem, grave sane munus sed idem tot tantisque difficultatibus plenum, ut ei plane si satisfacere velim, neque rei molem neque virium mearum infirmitatem satis debeam nosse videri. Iam vero haec quaestio, quum si nunc omnes antiquitatum libros amplecteretur, maior esset, quam quae hoc in libello concluderetur, ad primum tantum pertinebit, qui descripta Italiae conditione per se totum aliquod efficit.

Ceterum ratio, quam sequar, ea est, ut primum de scriptorum delectu, quem instituit, dicam, deinde in singulis rebus quem Graecum Latinumve auctorem inspexerit, investigem, quoad quidem eius fieri potest, discretis iis, quae ex sua ipse opinione posuit, atque quum ad auctoritatem eius cognoscendam multum conferat, ut quid alii iisdem de rebus statuerint, scias, horum quoque testimonia collecta cum Dionysii comparabuntur.

Constat Dionysio in antiquitatibus id fuisse propositum, ut contra vulgarem de Romanorum origine opinionem honestos maiores iis subiiceret genusque a Graecis deduceret, incitatus ille sive populi Romani studio quodam sive vana ambitione. Quod etsi occasione oblata ubique fere significatum est[1]), maxime tamen ex primo libro apparet. Enumerat enim populos qui ex Graecia in Italiam migraverint ac postea Romam condiderint, nec quidquam omittit, quod aliqua saltem ex parte ad Graecos possit referri, quam totam quaestionem tam firmis argumentis sibi videtur comprobasse, ut neminem amplius, quin Roma esset Graeca urbs diceret dubitare posse[2]). Hinc factum est, ut quod Livius paucis capitibus comprehendit, Dionysius toto libro exponeret. Quod quum esset eius consilium,

---

1) Insignes loci hoc in genere sunt l. IV, c. 26, p. 704 ed. Reisk. et III, 10, p. 433. Ceterum Romanos a Graecis ortos esse tradunt etiam Serv. ad Virg. Aen. I, 292 et Caecilius ap. Strab. V, p. 230 ed. Casaub. 2) c. 89, p. 229.

simul intelligitur quos potissimum auctores sit secutus. Ex Graecis erant ii, qui de antiquissimis ac fabulis plenis temporibus satis nude [1]) memoriae prodiderunt, ut Pherecydes, quique λογογράφοι vocati sunt, et qui origines gentium atque urbium seu κτίσεις scripserunt, ut Hellanicus Lesbius, Dionysius Chalcidensis, et qui historias universales quas dicunt, composuerunt, ut Timaeus Siculus; ex Romanis autem, quorum linguam se didicisse et litteris operam dedisse, priusquam ad scribendum se contulisset, ipse affirmavit [2]), ii, qui priscae Italiae conditionem Urbisque originem narrarunt, ut Varro et Cato, a Livio magno cum incommodo neglectus [3]), a Dionysio diligentissimus antiquitatis investigator magni aestimatus [4]), et ii, quos communi

---

[1]) cf. Cic. de Orat. II, c. 12, § 53. [2]) I, c. 7. p. 21. [3]) cf. Lachmann. de fontibus Livii p. I, p. 42 § 23. [4]) cf. I, 74, p. 187: Κάτων δὲ Πόρκιος Ἑλληνικὸν μὲν οὐχ ὁρίζει χρόνιον· ἐπιμελὴς δὲ γενόμενος. εἴ καί τις ἄλλος, περὶ (sic est legendum secundum cod. Vat.) τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογουμένης ἱστορίας κ. τ. λ. I, 11, p. 29. Οἱ δὲ λογιώτατοι τῶν Ῥωμαϊκῶν (sic est legendum secundum cod. Vat. Ven. Chis., ut me docuit Ambroschius V. Cl.) συγγραφέων, ἐν οἷς ἔστι Πόρκιός τε Κάτων. ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγὼν, κ. τ. λ. Nescio autem, quo iure Schulinus (de Dionysii Hal. historico p. 49) dicat: „Videtur Dionysius hanc praecipue ob causam Catonem magni fecisse, quod is Graecorum scripta non legerit, ideoque, ut Heynii verbis utar, (Exc. IV ad Aen. lib. VII) insanum illud Graecanicae doctrinae in patrias historias inferendae studium ab eo alienum fuisse videatur, id quod Heynius neque dicit, (sunt enim verba eius haec vol. III, p. 147: „Ex qua secta sc. eorum, qui Graecas fabulas in Romanorum historiam inferebant, Cato imprimis erat, qui

nomine annalium confectores appellamus. Hi, quorum antiquissimi Fabius Pictor et Cincius Alimentus perhibentur, ex monumentis publicis privatisque pendebant, unde quae fuerit indoles historiae facile intelligitur: similes Graecorum scriptoribus vetustissimis sine ullo ornamento quid quoque anno gestum esset consignabant [1]). Neque tamen, quin eorum quidam Graecis historicis ducti paulum se erexerint et addiderint historiae maiorem varietatem, potest dubitari, quamquam non optima exemplaria sibi proponebant, sed inferioris ordinis, ut Timaeum Siculum. Iam vero sunt, qui ex Livio quoque Dionysium quaedam hausisse velint, alii, qui a Livio Dionysium lectum esse contendant [2]), sed quamquam prior Livianae historiae pars ante Dionysii antiquitates videtur confecta esse, primus liber vix referri poterit ad Livium, quum rerum in hoc expositarum maximam partem Livius omnino non commemoret, reliqua autem, quae et ipse narrat, breviter tantum attingat. Singulos autem illos historicos percensere quaeve fuerint eorum scripta examinare et longius est neque necessarium, quum iam alii hoc munus in se susceperint, qua de causa eiusmodi quaestioni supersedens illud dico vix quemquam aut Graecum aut Romanum nobilem scriptorem fuisse de prisca Italia Romaeque origine tractantem, quem Dionysius

---

sero litterarum Graecarum studio ad pravam eam rationem deductus videtur") neque potuit dicere, nam cf. Serv. ad Aen. I, 273. Deinde ut Schulinum recte de Catone ponamus cogitasse, mihi quidem videtur propterea Dionysius Catonem minime magni facturus fuisse, quippe qui ipse occasione data Graecas res Romanae historiae intruderet. [1]) cf. Cic. l. c., Brut. c. 64; de Legg. I, 2. [2]) Lachmann. l. c. § 23. p. 45.

non in usum suum converterit. De quo quidquid statuis, id certe negare non poteris diligenter eum in fontibus colligendis adhibendisque versatum esse, nam ex prooemio, ubi de fide obtinenda tamquam sollicitus Romanos auctores indicat, (c. VII, p. 20 et 21) et ex ipso narrationis decursu, ubi Graecorum suo quemque loco significat, quadraginta duos scriptores ab eo inspectos esse cognoscimus. Praeterea autem saepissime fontes suos non nominat, sed in universum tantum indicat [1]), qui quales fuerint passim comperimus ex aliorum scriptorum easdem res narrantium comparatione vel ex antiquissimorum historicorum fragmentis investigandis, passim firmis argumentis destituti coniectura tantum assequi possumus.

Neque vero unum perpetuo sibi praefecit ducem ceteris propterea solum inspectis, ut eorum narrationes illi annecteret vel scriptorum dissensum commemoraret. quae quidem ratio inter Polybium et tertiam, quartam, quintam Livianae historiae decadem intercedit, sed aliis in locis alios secutus est, et quum in tanta rerum vetustate et obscuritate ex nullo, quamvis graves quidam fuissent, solo posset haurire, saepissime varias auctorum sententias aperuit, quibus allatis aliquotiens vel legentibus iudicium reliquit [2]), vel sibi quid maxime probaretur, significavit ceterosque refutavit [3]). Iam quum de rebus, in quibus historici discrepabant, interdum sententia quaedam vulgaris [4]) obtineret mentibus hominum insita et sermonibus celebrata, ex fama quo-

---

[1]) cf. c. 13 p. 36: *πολλοῖς ἄλλοις εἴρηται*, c. 36, p. 90; *ἔστι δέ τις καὶ ἕτερος λόγος*. c. 48 p. 122 et saepius. [2]) c. 48, p. 120, p. 122; c. 79, p. 201. [3]) c. 48, p. 120; c. 29, p. 75; c. 87, p. 227; c. 53, p. 136. [4]) c. 17, p. 46 *ὡς ὁ μῦθος ἔχει*, c. 49, p. 98.

que et ipsa tamen ab historicis prodita pependit, cui aliis in locis eam, quae verisimilior esset, opinionem opposuit[1]). Id, quod in praeferendis et comparandis auctoribus respicere solitus est, ipse indicavit, quum hausturum se esse diceret ex iis, qui ad veritatem proxime accederent[2]), vel fide dignissimi essent[3]). Haec in universum praemittenda putavi, nunc ad quaestionem ipsam aggrediendum et quem scriptorum quoque loco videatur secutus esse explorandum, quod quo magis perspicuum sit, primi libri argumentum septem in partes divisi, quarum in prima de Aboriginibus, secunda de Pelasgis ac Tyrrhenis, tertia de Evandro, quarta de Hercule, quinta de Aenea, sexta de regibus Albanis, septima de Urbis origine agetur.

§ 1.

De Aboriginibus.

Quae Dionysius de his narrat, ex compluribus et Graecis et Romanis fontibus hausit, quibus modo addito nomine modo omisso est usus. Ad Romanos referendi sunt Porcius Cato, quem Dionysius Italicarum urbium origines diligenter collegisse ait[4]), Terentius Varro, qui in rerum humanarum antiquitatibus de priscis Italiae incolis exposuit, C. Sempronius Tuditanus, a Dionysio *τοῖς λογιωτάτοις τῶν Ῥωμαίων συγγρα-*

---

[1]) c. 41, p. 105. [2]) c. 75, p. 192: *λεχθήσεται δὲ κἀμοὶ τὰ πιθανώτατα τῶν μνημονευομένων.* [3]) c. 45, p. 114: *Βούλομαι δὲ καὶ περὶ τῆς Αἰνείου παρουσίας εἰς Ἰταλίαν . . . . . μὴ παρέργως διελθεῖν, τάς τε τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν Ῥωμαίων τῶν μάλιστα πιστευομένων ἱστορίας παραλαβών.* [4]) I, 11, p. 29.

φέων adnumeratus [1]). Ex Graecis testibus profert Pherecydem Atheniensem, qui antiquitates Atticas scripsit [2]), historicum antiquum illum atque in enarrandis populorum generibus insignem [3]), et Antiochum Syracusanum Italiae res tractantem, ut affirmat Dionysius c. XII. p. 34, ubi ipsa Antiochi verba afferuntur, quibus historiam se hausisse dicit ex monumentis vetustissimis et fide dignissimis. Praeter hos, quos non semper, ubi ex iis pendet, nominat, aliis quoque se usum esse saepius significat. Ac primum quidem Siculos priscis temporibus Romam urbem tenuisse narrat, cuius rei quamquam fontem non indicat, Varronem tamen, auctorem esse existimo, qui ex veteribus annalibus idem memoriae prodiderit [4]); dux ille complurium scriptorum cum Dionysio facientium [5]). Iam hos e sedibus eiectos esse dicit per Aborigines, quibus Graecam tribuit stirpem secutus Catonem, Sempronium Tuditanum multosque alios [6]), qui tamen coloniae neque gentem neque tempus neque auctorem addiderunt. Dionysius autem, quum fama obtineret de Arcade Oenotro in Italiam cum suis ingresso, sine ullo veterum testimonio eam Catonis verbis adiunxit et ita perpetuam quandam finxit narrationem, ab illis Oenotris Aborigines ortos esse affirmans [7]).

---

[1]) l. c. [2]) cf. Vossius de hist. Gr. p. 24 seqq. ed. Westermann. [3]) c. 13, p. 35. [4]) de L. L. V. § 101 ed. O. Müller. [5]) Virgilius, qui eos Sicanos appellat, VII, v. 795 et Servius a. h. l.: „Ubi nunc Roma est, ibi fuerunt Sicani;“ XI, v. 317 et Serv. Plin. N. H. III, 14; Fest. v. Sacrani. [6]) c. 11, p. 29. [7]) Itaque nullo modo verum est, quod Schulinus l. c. p. 64 dicit: „Dionysius, quo Aborigines ex Arcadia fuisse oriundos evinceret, Catonis praecipue et Sempronii testimonio usus est,“ nam ipse hoc sua ex opinione posuit.

Iam vero diserte et cuius generis coloniae dux fuerit et qua de causa emigraverit tradit, in quo non significat, quidem quem scriptorem inspexerit, sed haec omnia ex Pherecyde hausta esse e capite XIII. potest colligi, ubi Arcadiae regum genus perhibetur consignasse atque testis affertur, ab Oenotro Oenotros Italiam incolentes ita esse nominatos. Ceterum alii quoque scriptores hanc fabulam commemorant, sed magna est opinionum varietas: ut ex Dionysio apparet, Lycaonis regis erant filii viginti et duo, inter quos Oenotrus et Peucetius nominantur, Apollodorus quinquaginta enumerat, sed et Oenotrum et Peucetium omittit [1]), Pausanias viginti et sex omisso iterum Peucetio [2]). Magis etiam in genere horum regum discrepant [3]), quod exemplis comprobare longum est, sed quae Dionysius c. XI. sine auctoris nomine refert, ea cum breviore Pherecydis narratione c. XIII. congruunt, ex quo Pherecydem eius fontem priore quoque loco fuisse magis patet. Denique si Dionysium sequimur, Oenotrus cum fratre non contentus exigua regni parte a patre accepta in Italiam traiecit, si Pausaniam respicimus, Oenotrus solus non addita itineris causa a fratre Nyctimo egregie adiutus Italiam petiit, Apollodoro autem teste Lycaon cum filiis suis a Iove est fulmine percussus unusque Nyctimus servatus, quo regnante Deucalionis inundatio erat [4]). Praeter hos Nicander quoque huius coloniae mentionem facit [5]), sed idem alium videtur fontem secutus esse, quum tres Lycaonis filios in Italiam se contulisse narret; ex Ro-

---

[1]) Biblioth. III, 8 § 3. [2]) VIII, c. 3. [3]) Augetur hic dissensus Hellanico, cf. frag. VII, ed. Sturz. [4]) l. c. III, 8 § 1. Schol. ad Eur. Orest. v. 1646. [5]) ap. Anton. Lib. c. 31.

manis Servius eam cognitam habet, quamquam ne hic quidem caret, quo a ceteris differat[1]). Iam Dionysius quo magis sententiam suam firmet, Sophoclis Triptolemum et Antiochum Syracusanum auctores exhibet, Oenotros olim in Italia consedisse ac deinde ab Italo rege vocitatos esse Italos, id quod alii quoque tradunt[2]), sed neque dicunt eos Arcadum colonos fuisse, quod rei caput est, et idem Antiochus alio loco, priusquam Graeci in Italiam secessissent, Oenotros ibi habitasse refert[3]). Dionysius vero, ne quis dubitet quin Romanorum maiores Graeci sint, Aborigines ab Oenotris deducit atque a sedium natura ita nominatos esse vult[4]), quod statuens non consentit iis, qui omnes antiquos ac barbaros Italiae populos advenis respectis communi illo nomine complectuntur, quae quidem de iis opinio plurimis scriptoribus erat probata[5]). In urbium enumeratione, quae Aboriginum erant ac postea a Sabinis potissimum captae Dionysii aetate tantum non omnes desertae iecerunt, Varronem nuncupat ducem[6]), fortasse tamen Catonem quoque iam hic inspexit, eum quo harum rerum teste alio loco utitur[7]). Quae de insula quadam lacus Cutiliensis mutabili narrat, totius Italiae umbilicio, ea alii quoque ex Varrone referunt.[8]).

---

1) ad Aen. I, 532. 2) Arist. Polit. VII, c. 10. Strab. VI, p. 254. 3) ap. Strab. VI, p. 253. 4) c. 13. p. 36. Fest. v. Aborigines. 5) Virg. Aen. VII, 180 et Serv. a. h. l.; Liv. I, 1, § 5; Sall. Cat. c. 6, qui contra Livium eos cum Aenea advenisse dicit; Iustin. XLIII, 1, § 3; Fest. l. c. Praeterea cf. Heynius Exc. IV. ad Aen. VII; Wachsmuth: die ältere Geschichte des R. Staats p. 99 seqq.; Niebuhr I, p. 77 (edit. II). 6) c. 14, p. 37. 7) II, 49, p. 339. 8) Plin. N. H. III, 17; Macrob. Sat. I, 7. Praeterea conferri potest Varro de L. L. V. § 71.

§ 2.

De Pelasgis et Tyrrhenis.

Secunda colonia a Graecis in Italiam deducta Dionysio Pelasgorum est, quorum res postquam exposuit, Siculorum in Siciliam recessum atque quaestionem de Tyrrhenorum origine adiungit. Quae unde hauserit in priore parte auctores commemorat nullos, in posteriore autem varias variorum scriptorum sententias significat atque examinat. Fontium genus si investigas, Graeci sunt, e Romanis unum Varronem fortasse inspexit, certe oraculum, quod capite XIX. tradit, in Varronis antiquitatibus consignatum fuisse scimus [1]). Ac primum quidem Pelasgorum quae origo fuerit, quae priscae sedes, quae itinera itinerumque calamitates, qui adventus in Italiam copiose enarrat [2]) haud dubie secutus Hellanicum Lesbium, eum quem postea, ubi hac ex narratione quaedam repetit, nominat auctorem [3]). Scripserat hic multas historias [4]), ex quibus qua Dionysius hoc loco utitur, Phoronis est, quae libris compluribus [5]) Phoronei Argivorum regis facta omniaque, quae ad antiquos huius terrae incolas pertinebant, continuit: argumentum illud a multis et poetis et historicis celebratum. Iam Hellanico Dionysius fidem satis magnam videtur habuisse, nam in alia quoque re postea narrata, ubi scriptores varias in partes abeunt, huius potissimum auctoritatem sequendam sibi existimavit, quamquam, quod ad tempora inquirenda attinet, non

---

1) ap. Macrob. l. c. 2) c. 17 seqq. 3) c. 28 p. 74. 4) cf. Vossius l. c. p. 28 seqq. 5) Decimum nominat Harpocration v. στεφανηφόρος, unde cum Sturzio l. c. p. 107 omnino decem tantum fuisse non collegerim.

satis diligens erat[1]). Pelasgos Dionysius vulgatiorem famam recipiens nominatos esse perhibet a rege quodam Pelasgo, neque ab antiquissimo scriptore Acusilao dissentit[2]), repugnat autem Myrsilo Lesbio Atticisque historicis[3]), qui nomen a vaga eorum vita, quae avibus similis fuerit, repetunt, et Philochoro, qui inde quod velis et verno tempore advenisse visi sint, ut aves, nomen explicat[4]). Neque in priscis Pelasgorum sedibus constituendis Dionysius discrepat ab antiquissimis testimoniis, quum iam Homerus in terra Argolica eos dixerit habitasse[5]), Ephorus autem, quem Pausanius videtur secutus esse[6]), eos Arcadiae incolas facit[7]), alii Dodonae[8]). Ex Peloponneso in Thessaliam duxerunt coloniam ibique regna condiderunt, qua de causa inde orti esse a quibusdam perhibentur[9]), sed aliquantum ibi morati a Deucatione expulsi sunt, ut Dionysius quidem narrat[10]), dissidens paulum cum Diodoro Siculo, quo teste Deucalionis eluvionem fugientes emigrarunt[11]). Iam vero indicatis regionibus, quas a Pelasgis proficiscentibus alii quoque captas esse tradunt[12]), eorum et in Italiam adventum commemorat[13]) et societatem cum Aboriginibus contractam, a quibus quum iam bellum instaret,

---

[1]) cf. Thuc. I, 97 ext: *τοῖς χρόνοις οὐκ ἀκριβῶς ἐπεμνήσθη.* [2]) ap. Apollod. l. c. II, 1, § 7. [3]) ap. Dionys. I, 28 ext. ap. Strab. V, 221; cf. IX, 397: XIII, 621. [4]) ap. Serv. ad Aen. VIII, 600. [5]) Il. *β*, 681. [6]) lib. VIII. init. [7]) ap. Strab. V, p. 221. [8]) Hom. Il. *π*, 233. [9]) Serv. ad Aen. VIII, 600. [10]) c. 17 extr. [11]) lib. XIV, p. 453. [12]) De Lesbo cf. Strab. V, 221, Diod. Sicul. V, 81; de Creta cf. Hoeck „Creta" tom. I, p. 147 et II, p. 15; de Boeotia Strab. IX, p. 410, de Asia Menecrates ap. Strab. XIII, p. 621; Hom. Il. *β*, 840 et Herod. VII, 44. [13]) cf. Strab. V, 220.

recitata quadam oraculi Dodonaei sententia in amicitiam sunt recepti. In iis, quae postremo loco posui, vix, quin Varronem sit secutus, dubitari potest, cuius ex antiquitatibus quae in breve coacta Macrobius refert [1]), ea plane sunt accommodata ad hanc copiosiorem Dionysii narrationem. Ex eodem fonte nescio an petierit ea, quae de Iunonis templo Faleriis exstructo ac de sacris, quibus ibi utebantur, commemorat [2]), probaturus ille huius urbis incolas Argivae esse stirpis. Deinde urbes quasdam a Pelasgis aut Siculis ereptas aut conditas respiciens haud dubie eundem illum Hellanicum dicit, ut Agyllam [3]), Alsium [4]), Pisam, quam a Peloponnesiis Pisaeis finito bello Troiano aedificatam esse ferunt [5]), Larissam in Campania [6]). His allatis Siculorum ex Italia eiectionem ac Siciliae, qui tum erat, statum exponit, in quo Thucydidis vestigia eum ingressum esse [7]) nemo, qui utriusque verba inter se compararit, negare potest. Non enim in eo tantum, quod gravius est, Thucydidem secutus est, Sicanos gentem Hispaniensem olim in Sicilia habitasse insulaeque nomen Trinacriam in Sicaniam mutasse, deinde autem a Siculis irrumpentibus victos esse ac Siciliam regionem nominatam [8]), verum etiam leviores fere res imitando expressit, veluti in ratibus ac mari ad navi-

---

[1]) Saturn. I, 7. [2]) c. 21, p. 55; Plin. N. H. III, 8; Solin. c. 2, et de pompa, cui Argiva facies erat, Ovid. Amor III, 13. [3]) c. 20 ext. et Strab. V, 220. [4]) Strab. V, 225. [5]) Strab. V, p. 222; Plin. N. H. III, 5; Iustin. XX, c. 1; Solin. c. 8. [6]) Strab. IX, 440. Varias Pelasgorum Larissas laudant Strab. l. c. et XIII, 620, ex eo Steph. Byzant. v. *Λάρισσα*; schol. ad Apollod. I, 40; Eustath. ad Il. *β*. p. 357 et 358; Cyrillus contra Iulianum Serm. X, p. 342. [7]) VI, c. 2. [8]) Idem narrant Hellanicus frag. 50 et Diod. Sic. V, 2.

gandum opportuno eos in Siciliam traiecisse. Atque hoc eo magis est mirum, quod postea [1]), ubi varias scriptorum hac de re sententias enuntiat, Thucydidis quoque sed quam brevissime indicat, acsi nullo omnino modo eum antea respexerit. In eo solum differunt, quod Dionysius Siculos per Aborigines, Thucydides per Opicos esse expulsos narrat, addens ille quidem ὡς μὲν εἰκός. Ceterum Sicanos Ephorus quoque ad Hispaniam refert [2]), alii inter eos et Siculos nullum discrimen statuunt [3]). Diligentem fuisse Dionysium in fontibus colligendis ex hoc quoque loco apparet, nam quum de tempore, quo haec gesta erant, de populisque et expellentibus et expulsis alii scriptores memoriae prodidissent alia, complures sententias commemorat, ut Hellanici, cuius tamen hic aliud atque antea opus manifestum est dici, ἱερείας τῆς Ἥρας [4]), Philisti Syracusani, qui a Dionysio propter animi illiberalitatem vituperatur quidem [5]), sed idem ei tam erat commendatus, ut eum faceret unum ex quinque illis, quos historico maxime esse imitandos putavit [6]), denique Thucydidis, quem quum ceteris in rebus tam diligenter sit secutus, mirum est, quod in tempore constituendo leviter tantum attingit [7]). Contra omnium fere scriptorum consensum Servius nescio quo auctore hanc narrationem invertit et ex Sicilia Siculos in Italiam ductos

---

[1]) c. 22 ext. [2]) ap. Strab. V, p. 270, sed vide Wachsmuth. p. 76 seqq. [3]) Serv. ad Aen. I, 533; XI, 317; Gell. Noct. Att. I, 10; Macrob. Sat. I. 5; Solin c. 2. [4]) De indole huius operis cf. Sturz. p. 79. [5]) Epp. ad Pomp. c. V, p. 780. [6]) l. c. c. III, p. 767. [7]) Thuc. VI, 2 et Dionys. c. 22 ext: Θουκιδίδης δὲ Σικέλους μὲν εἶναι (hoc retinendum est secundum cod. Vat.) γράφει τοὺς ἀπαναστάντας, Ὀπικοὺς δὲ τοὺς ἐκβαλόντας· τὸν δὲ χρόνον, πολλοῖς ἔτεσι τῶν Τρωϊκῶν ὕστερον.

esse commemorat[1]). Eorum, quae subsequuntur, testis Dionysio est Myrsilus Lesbius, cuius ex historia Pelasgorum res continente quaedam iisdem fere verbis reddidit[2]). Pelasgi enim ab egregia rerum hominumque accessione aliquanto post variis calamitatibus ac dissensionibus domesticis agitati diversas in regiones dissipati sunt. Sed si Dionysius ad hos ipsos Pelasgos, qui Italiae insederant antiquitus ac postea in communi gentis clade inde discesserunt, illos Tyrrhenos quoque refert, qui per Graeciam vicinasque insulas dispersi erant, nomenque eos a priscis sedibus in Tyrrhenorum regione positis accepisse contendit[3]), haec coniectura eius est, non narratio antiqui scriptoris testimonio comprobata, cui ideo, ne nimium tribuamus, cavendum est. Multa enim in primo libro quaerenti non ex fonte aliquo vetusto hausta, sed a Dionysii opinione tantum profecta sese offerunt. Myrsilo quidem teste[4]) Tyrrheni, quorum nomen propter vagam vitam in Pelasgorum nomen esset mutatum, e patria excedentes in Graeciam aliasque terras pervenerunt, sed Italiam hanc patriam fuisse minime dixit, et potuit de iis insulis cogitare, in quibus Tyrrheni habitaverant. Strabo Pelasgos duce Malaeoto rege ex Italia Athenas se contulisse contendit[5]), sed famam secutus, non certum quendam auctorem.

Descripta Pelasgorum colonia ad aliud transit, arcte quidem illud cum priore coniunctum, quaestionem

---

[1]) ad Aen. I, 2. [2]) c. 23 ext. p. 62: *Ταῦτα δὲ Μύρσιλος ὁ Λέσβιος ἱστόρηκεν. ὀλίγου δεῖν τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασι γράφων, οἷς ἐγὼ νῦν.* [3]) c. 25, p. 65. Thuc IV, 109. Tyrrhenos Athenas et Lemnum incoluisse dicit, minime autem eorum ex Italia adventum addit. [4]) ap. Dionys. I, 28 ext. [5]) lib. V, p. 225.

dico de Tyrrhenorum origine institutam, quae etiamsi et ipsa laudabilem habet diligentiae commendationem consumptae in fontibus colligendis, eo quoque est insignis, quod rebus narratis iudicium, qualecunque illud est, interposuit, ut, rectene veteres de his sensissent, discerneret. Animadverterat enim, Pelasgi qui essent, etiam Tyrrhenos appellari, quod qui contenderunt, neque pauci erant scriptores neque contemnendi, Thucydides auctor si quisquam alius certus [1]), Hellanicus, Myrsilus [2]), magni ab eo aestimati, qui quamquam via diversa ad id, quod statuerunt, pervenerant, tamen consenserunt, e poetis Sophocles, quae quidem testimonia aliis possunt augeri etiam Romanorum [3]). Contra hos autem dixerunt ii, qui Tyrrhenorum originem e Lydia repetierunt, quae opinio veteribus omnium maxime erat probata. Videtur Herodotus, quem Dionysius quoque auctorem suum affert, primus narrasse [4]) Lydo et Tyrrheno Atyos filiis regnantibus magnam exortam esse famem, quam ut levarent incolas alternis diebus cibo abstinuisse, sed ne ita quidem quidquam profecisse, quare in duas partes divisos sortitos esse, utra remaneret, utra emigraret, illud autem Lydo evenisse, hoc Tyrrheno, qui in eam Italiae partem profectus esset, quam Umbri incoluissent. Hanc narrationem multi cognitam habuerunt et historici et poetae, aut ita ut plane consentirent, aut in singulis paulum a primo fonte recederent, rem tamen primariam constanter tenerent [5]). Dionysio autem Tyrrheni neque Pe-

---

[1]) IV, c. 109. [2]) ap. Dionys. c. 28 p. 74. [3]) Apoll. Rhod. IV, v. 1754; Hesych. v. Πελασγικόν; Anticlides ap. Strab. V, 339 Pelasgos cum Tyrrheno in Italiam contendisse narrat; Varro et Hyginus ap. Serv. ad Aen. VIII, 600. [4]) I, 94. [5]) cf. Timaeus ap. Tertull. de Spectacul.

lasgi sunt neque Lydi [1]), quod quo iure statuerit non huius est loci neque multis enarrare neque examinare [2]). id tantum dico quum alia causa commoto tum propterea quoque Lydicam Tyrrhenorum originem ei probari non potuisse, quod Xanthus Lydus, quem patriae historiam diligentissime conscripsisse ait [3]), hac de re nihil memoriae prodidisset. Itaque eos indigenas existimat [4]), quamquam non solus est veterum, qui a magno illorum scriptorum numero dissentit [5]).

§ 3.

De Evandro.

Post Pelasgos Evandrum in Italiam venisse Dionysius tradit [6]). Quam fabulam si quis existimet a Graecis profectam esse, non aberret a vero, certe partes eius quaedam, velut Evandri origo aperte id demonstrant, a Romanis autem acceptam celebratamque fuisse multis veterum testimoniis confirmatur. Iam vero quum Arcadia priscis Pelasgorum sedibus adnumeraretur et Evander Arcadiae princeps genus ab ipso Pelasgo repeteret, haec fabula ab iis videtur orta esse,

---

c. 5; Plut. Rom. c. 2, Quaest. Rom. p. 277; Strab. V, 219; Scymnus Chius v. 244; Appian. Pun. p. 35; Paus. II, 21 § 3; Lycoph. Cassand. v. 1245 seqq. et 1359. Val. Max. II, 4 § 4; Vell. Pat. I, 1; Plin. N. H. III, 5; Tac. Annal. IV, 55; Hor. Sat. I, 6, 1; Virg. Aen. VIII, 479, IX, 11, X, 155 Lydia pro Etrusis, II, 781, VIII, 499 Maeonia iuventus, quia Maeones veteres Lydiae coloni fuerunt; Serv. ad Aen. I, 67; Fest. v. Sardi et v. Tusci; Hygin. Fab. 274. [1]) c. 30. init, [2]) cf. Niebuhr. p. 109 seqq.; Wachsmuth. p. 85. [3]) c. 28, p. 73. [4]) c. 30, p. 79. [5]) Tzetz. ad Lycoph. v. 135. [6]) c. 31—34.

qui de Pelasgorum rebus scripserant, inde autem ad Romanos traducta et cum ab aliis tum a Varrone potissimum tractata, cuius rerum divinarum antiquitates Romana sacra exponentes non dubito, quin ad Evandri quoque sacra Romae instituta pertinuerint. In opere suo de lingua Latina composito re vera Evandri mentionem facit [1]), sed brevissime tantum, ac saepius ibi legentes eiusmodi de rebus ad antiquitates remittit, ubi plenius fuerint narratae [2]). Praeterea Dionysius ne Arcadum ipsorum quidem fabulas neglexit [3]). Ac primum Romanis auctoribus usus [4]) classem Pallanteo Arcadiae urbe profectam Evandro duce in Italiam venisse tradit, id quod multis veterum testimoniis comprobatur, quamquam singula ab aliis narrantur aliter, modo copiose exposita modo verbo tantum significata [5]). Iam si Dionysium audimus, Evander genitus est e Mercurio et Nicostrata Arcadiae nympha, quae a Romanis Carmenta dicebatur, in quo etsi quidam paulum recedunt ab hac vulgari opinione [6]), hoc tamen omnes concedunt Nicostratam seu Carmentam rerum futura-

---

[1]) V, § 21. [2]) cf. VI. § 18. Aliquot huius diei vestigia sacris apparent, de quibus rebus antiquitatum libri plura referunt; § 13: Nam et Lupercalia februatio, ut in antiquitatum libris demonstravi. [3]) c. 33 init. [4]) c. 31 init.: *ὡς αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσιν.* [5]) cf. Varro de L. L. V. § 21; Liv. I, 5; Seneca Consol. ad Helv. c. 7; Plin. N. H. IV, 6; Iustin. XLIII, 1 § 6; Solin. c. 13; Virg. Aen. VIII, 51 et Serv. a. h. l.; Ovid. Fast. I, 470 seqq., Met. XIV, 456; Tib. Elegg. II, 5, 25; Propert. IV, 1 § 4; Strab. V, 230; Paus. VIII, c. 43; Plut. Quaest. Rom. p. 124; Diod. Sic. IV, c. 21; Plut. Rom. c. 21. [6]) cf. Paus. l. c. Plut. Rom. l. c. Virg. Aen. VIII, 130.

rum peritam [1]) fuisse, et quod versibus canere solita esset, Carmentae nomen accepisse [2]). Causa autem, cur Evander in Italiam migraverit, non eadem apud scriptores legitur: Dionysio auctore sponte patriam reliquit [3]), secundum alios sola matris adhortatione commotus Italiam petiit [4]), secundum alios provincia sua amissa exsilio pulsus est [5]). Eo advenit quo tempore Faunus Aborigines regebat, quem Dionysius quidem Marte editum exhibet nescio quo auctore [6]), quum genus, quemadmodum Virgilius indicat [7]), haud dubie antiquis fontibus proditum fuerit, certe Varro idem sensit [8]). Idem in hoc quoque discrepat quum a Dionysio tum a reliquis scriptoribus [9]), quod horum ex testimonio Evander a Fauno benigne exceptus agroque donatus est, ex ipsius autem Aborigines pepulit atque vi loca cepit [10]). Hic Evander oppidum condidit Pallantium, quod nomen unde deducendum sit magna est sententiarum varietas: Dionysius de Arcadiae urbe Pallantes cogitat ac Polybium vituperat [11]), quod nomen repetierit a Pallante nepote Evandri ibi sepulto [12]), alii Pallantiam Evandri

---

[1]) cf. imprimis Ovid. Fast. l. c. v. 473:
Quae, simul aetherios animo conceperat ignes,
Ore dabat vero carmina, plena Dei.

[2]) Plut. l. c. aliam nominis explicationem profert, quam probabiliorem dicit. [3]) c. 31, p. 81. [4]) Serv. ad Aen. VIII. 51. [5]) Seneca l. c. Evandrum in catalogo exsulum collocat; Liv. 1, c. 7; Ovid. Fast. l, v. 477, 482. [6]) c. 31, p. 82. cf. Appian. frag. lib. I. [7]) Aen. VII, 48. [8]) De Gente Pop. Rom. ap. August. de Civ. Dei XVIII. 15. Lactant. Div. Instit. I, 22. [9]) Dionys. c. 31, p. 82; Iustin. l. c.: Cui (Evandro) Faunus et agros et montem benigne assignavit. [10]) ap. Serv. ad Aen. VIII, 51. [11]) c. 31 ext. Consentiunt cum eo Paus. VIII, 43; Plin. IV, 6; Liv. I, 5. [12]) Polyb. Arch. Rom. frag. vol. II, p. 269 stereot. Aliter de hoc Pallante statuunt Serv. l. c.; Eustath.

filiam respiciunt [1]), alii Palatinos Aborigines ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi consedentes [2]), alii denique alias causas, quas commemorare longum est [3]). Deinde varios honores, quos Romani Carmentae et Evandro habebant, indicat secutus haud dubie Varronis auctoritatem [4]). Quibus quae adiecta est disputatio de sacris ab Evandro in Italiam traductis, initiis illis Romanorum sacrorum, ea nititur opinione quadam multis Romanis infixa, qui Deos nonnullos, etsi iam a priscis Latinis erant recepti, ad Graecos referre maluerunt, quo nihil sane Dionysio potuit gratius esse. Itaque non mirum, si et Panis cultum ab Evandro institutum atque inde Romanorum Lupercalia originem duxisse una cum multis affirmat [5]), et Consualia ex Arcadum Hippocrateis orta esse [6]). Denique quod postremo loco posuit, Aborigines ab Evandro litteras importante, artem musicam docente, bonas leges ferente, a fera agrestique vita ad humanum cultum civilemque esse deductos, id in Romanorum veteribus annalibus

---

ad Dionys. Perieg. v. 347; Procop. Bell. Vand. I, 21; Virg. Aen. VIII, 54. [1]) Varro ap. Serv. l. c. [2]) Varro de L. L. V, § 53. [3]) cf. Varro l. c.; Fest. v. Palatium; Solin. c. 1. [4]) ap. Gell. Noct. Att. XVI, c. 16 cf. Serv. ad Aen. VIII, 337; Strab. V. p. 230; Ovid. Fast. 1, 618 et Gierig. a. h. l. [5]) c. 32, p. 85; c. 79. p. 203; c. 80, p. 207. Liv. I, 5. Iustin. l. c. § 7. Ovid. Fast. II, 270 seqq. et 423 seqq.; Virg. Aen. VIII, 344; Val. Max. II, 12; Serv. ad Aen. l. c. Plut. Rom. c. 21. Aliam vocis explicationem in Romana fabula positam proferunt Plut. l. c. et Quaest. Rom. p. 131, Ovid. Fast. v. 421, Serv. ad Aen. l. c. et ad VIII, 90. Varro, ubi de Lupercalibus dicit (de L. L. V. § 85 et VI. § 13), de nomine nihil commemorat. [6]) cf. Plut. Rom. c. 14; Fest. v. Consualia; Serv. ad Aen. VIII, 635.

videtur consignatum fuisse, nam Livius quoque, cuius auctor in primo libro Fabius Pictor potissimum est, eandem rem attingit [1]), neque alii rerum narratores negligunt [2]).

§ 4.

De Hercule.

Paulo post Evandrum Herculem in Italiam advenisse fama erat, quae si a Romanis pariter atque a Graecis commemoratur, non est, cur mireris. Ab his enim, quum Hercules auctor ille fortitudinis et carminibus et historiis celebraretur, fieri oportuit, ut res in Italia quoque ab illo gestae conscriberentur, a Romanis autem propterea oblivione exstingui non potuerunt, quod ab iis sacra quaedam repetebantur. Iam fontes complures quidem Dionysius habuit [3]), ex quibus tamen praeter Euxenum poetam atque duos illos, quos in explicando Italiae nomine secutus est, appellat neminem. Itaque ceteri ex aliis indiciis, quoad eius fieri potest, indagandi sunt. Ac primum quod de Herculis comitibus quibusdam narrat remanentibus in Italia oppidumque condentibus in colle Saturnio, id, quemadmodum ex tota narrationis indole intelligitur, Graecis ex fontibus est haustum. Auctores enim affert Euxenum aliosque Italicos fabularum scriptores, ex quibus haud dubie Antiochum Syracusanum dicit, atque qui in universum testes laudantur, eorum sententia eiusmodi est, quam a Graecis fere profectam esse credas [4]). Quam-

---

[1]) Etiam Tac. Annal. XI, 14 hoc significat. [2]) cf. frag. incert. ap. Hertz: „de Luciis Cinciis“ p. 59. [3]) c. 34. p. 87: Ἄλλοι τινὲς τῶν Ἰταλικῶν μυθογράφων, c. 36, p. 90. [4]) c. 34, p. 87.

quam a Romanis quoque hanc rem consignatam esse Varrone comprobatur [1]. Iam vero hos Herculis comites itinerum taedio captos postulasse Dionysius tradit ut remanerent, consentiens cum Ovidio [2], dissentiens a Macrobio, cui ab Hercule irato videntur esse relicti, quod ipsius armenta non satis custodivissent [3].

Deinde Saturnalium originem ad Herculem refert priscos illius regionis incolas docentem pro hominibus Saturno oblatis scirpea virorum simulacra in Tiberim proiicere „Argei" postea a Romanis nominata [4], quarum rerum etsi fontem non aperuit, Varronem fuisse auctorem e Macrobio colligi debet [5]. Res autem ipsas ab Hercule in Italia gestas duplici modo enarrat diverso fontium genere ductus, quorum alterum fabulae colorem servavit, alterum Graeci historici eum, qui propius ad veritatem accederet habitum fabulae induerunt, et hac de causa Dionysio magis sunt probati. Plerique autem scriptores, qui quidem hanc rem narrant, vulgatiorem famam sunt secuti ita ut, si a Diodoro recesseris [6], exiguus tantum inter eos sit dissensus [7]. In iis, quae subiiciunter de Pinariis et Potitiis Herculis sacerdotibus, quorum posteriores sacris praefuerunt, priores propter tarditatem suam secundum

---

[1]) de L. L. V. § 45. [2]) Fast. V, 650: „At comites longius ire negant." [3]) Saturn. I, 7. [4]) c. 38 ext. [5]) l. c. Praeterea cf. Varro de L. L. V, § 45 et VII, § 44; Ovid. Fast. V, 620 seqq. Fest. v. Argei; Lactant. l. c. I, 21; Arnob. adversus gent. II, p. 91. Plut. Quaest. Rom. p. 102. [6]) IV, c. 21. [7]) Verrius Flaccus ap. Serv. ad Virgil. Aen. VIII, 203; Virg. VIII, 193 et Serv. a. h. l.; Ovid. Fast. I, 543 seqq.; Martial. V, 60; Propert. IV, 9. Lucan IV, 610 seqq.; Stat. Achill. I, 153 seqq.; Liv. I, 7; Iust. XLII, 2, § 9; Solin. c. 1; Apollod. II, 5 § 4; Strab. V, p. 230.

tenuerunt locum [1]), nescio an sit secutus libros pontificum vel Varronis antiquitates. Attamen haec de Hercule narratio Dionysio non placet, sed eos sibi probari dicit [2]), qui Herculis res ad historiam accommodate conscripserint, ex quibus cuius vestigia ingressus sit, apud ipsum quidem nullum est indicium, fortasse tamen ex Diodoro potest colligi. Hic enim in ea operis parte, quae Herculis res continet [3]), haud dubie Dionysio Milesio usus est duce [4]), eo qui *κύκλον ἱστορικόν* scripsit atque pravam illam narrandi rationem iniit, ut ad historiarum ordinem ac fidem revocaret res fama obscura acceptas, a poetis traditas et ornatas et inter eos homines gestas, quibus ea studia consiliaque, quae iis tribuuntur, illis quidem temporibus inesse non potuerunt, quo nihil sane neque molestius est neque ineptius. Iam vero hunc Dionysii quoque fontem fuisse admodum verisimile erit ei, qui quod c. XLI, XLII, XLIV posuit, strictim tantum respexerit. Vides enim Herculem cum maximo exercitu terras peragrare, praeclara de hominibus ad meliorem vitae cultum adducendis consilia agitare, civitates moderatas instituere, denique in Italiam advenire, hic cum Caco principe quodam asperrimo pugnare, deinde eius castella obsidere ac vi capere et fugientem proelio trucidare. Alio autem ex fonte et Romano quidem ea hausit, quae c. XLIII. de Herculis filiis in Italia relictis narrat, Pallantem enim eo et Evandri filia natum esse Varro potuit Dionysio auctor esse [5]), sed quod ad Latinum

---

[1]) c. 40, p. 102; Liv. l. c. Serv. ad Aen. VIII, 269. Veratius Pontificalis ap. Macrob. III, 6. [2]) c. 41 init; [3]) IV, c. 8—39. [4]) cf. Heyne de fontibus Diodori in Dindorfii editione vol. V, p. CI. et CII, not. 1. [5]) ap. Serv. ad Aen. VIII, 51.

attinet, variae apud Romanes obtinebant fabulae [1]), quibus quum antiquitus Romanis propriae essent, Graeci postea sua commenta immiscuerunt [2]).

§ 5.

De Aenea.

Aeneae res inde a Troia capta usque ad eius mortem gestas diligenter, ut ipse quidem ait [3]), ac fontibus fide dignissimis usus et Graecis et Latinis, quos tamen posteriores nunquam nomine indicat, describit. Iam vero ad narrandum Troiae excidium Aeneaeque fugam, id quod primum memorat, haud mediocris numerus et poetarum et historicorum se contulerat [4]), ex quibus quum Dionysius Hellanicum sibi elegerit ducem, quanti eum aestimarit intelligitur. Nec tamen negligendum est non omnia, quae ex Hellanico hic afferuntur, ab eo tradita, sed passim Dionysii ipsius verba esse interiecta, id quod neque ab eius more abhorret et hoc quidem loco tam perspicuum est, ut legentes fugere nequeat. Etenim hoc si quis neget omniaque veteri illi Hellanico tribuat, is credat necesse sit hunc rebus fama tantum acceptis voluisse fabulae colorem detrahere et historiae formam subtexere, quod quidem studium, quemadmodum ex reliquis eius fragmentis apparet, plane est ab eo alienum. Iam quum

---

[1]) Praeter Dionysium cf. Iustin. l. c. c. 2 § 9; Dio Cass. frag. Vales. III; Virg. VII, 47; Ovid. Met. XIV, 449; Lactant. de falsa Relig. I, 22; Fest. v. Picus. [2]) cf. Hesiod. Theog. 1011—1013, cum quo Cato quoque ap. Serv. ad Aen. I, 273 facit; alium fontem exscripsit Hyginus fab. 127. [3]) c. 45 ext. p. 113. [4]) cf. Heynii Exc. I, ad Virg. Aen. lib. II.

scriptores his de rebus minime consentirent, Dionysius aliorum quoque opiniones commemoravit, ipsi tamen propter fabulas, quas continerent, minus probatas[1]. Sic quo modo Troia sit capta a Graecis in incerto relinquit, Menecrates Xanthus autem, qui *Λυκιακά* scripserat[2], Aeneam propter sacerdotium sibi ereptum urbem Achivis prodidisse tradit[3], alii hoc facinus in Antenorem vel in utrumque transferunt[4]. Nec minus discrepant in Aeneae ex urbe discessu[5] ac magis etiam in vita eius post Troiae excidium acta, de qua quot scriptores fuerunt, tot fere narrationes in medium sunt prolatae, quas commemorare longum est[6]. His expositis Aeneae et qui fuerint errores ante adventum in Italiam et quae res ibi gestae commemorat praestantissimis, quae ipsius sunt verba, fontibus usus. Multos enim Romanos scriptores hanc rem exposuisse facile intelligitur, ex quibus non dubito, Varroni quin primus locus sit concedendus, cuius diligentiam in libro, quem de gente populi Romani scripsit, ad has quoque fabulas pertinuisse quum per se est probabile, tum inde potest colligi, quod a Servio multarum rerum ad Aeneam spectantium auctor nominatur gravissimus. Sed has fabulas Graeci, post quam acceperunt, ad

---

1) c. 48, p. 120 et 122. 2) ap. Anton. Lib. c. 35. 3) ap. Dionys. c. 48 ext.; cf. Il. ν, 461.

αἰεὶ γὰρ Πριάμῳ ἐπεμήνιε δίῳ,
οὕνεκ' ἄρ' ἐσθλὸν ἐόντα μετ' ἀνδράσιν οὔτι τίεσκεν.

4) Lycoph. Cassand. 340; Strab. XIII, p. 905; Sisenna ap. Serv. ad Aen. I, 241. Liv. I, 1. Quint. Cal. XIII, 293 seqq.; Horatio Troia „sine fraude" capta videtur Carm. Saec. V. 43; 5) Soph. ap. Dionys. c. 48; Quint. Cal. v., 333; Virg. Aen. II, 710; Aelian. V. H. III, 22; Xenoph. Venat. I, 15; Varro ap. Serv. ad Aen. II, 636. 6) cf. Heynii Exc. XVII ad Lib. II; Klausen „Aeneas und die Penaten t. I, p. 45.

suum ingenium composuerunt suisque cum fabulis coniunxerunt. Quae Graecorum commenta Romani deinde in usum suum converterunt, aut ut plus ornamenti patriae famae adderent, aut, quod erat posterioris temporis ingenium, antiquissimas quoque suas res ad Graecos referrent. Ac primum quidem Dionysius Hellanico auctore Aeneam Pallenen venisse ibique Aeneam urbem condidisse prodit [1]), sed in iis, quae subiiciuntur, aliis est fontibus usus. Ab Hellanico enim nescio an propterea se averterit, quod nimis a vulgari Romanorum opinione sparsa de Aeneae adventu recessit [2]). Itaque eiusmodi duces ei erant eligendi, quos secutus sperare potuit fore ut Romanis probaretur, unde factum est, ut eius narratio in plerisque rebus cum Virgilio consentiret. Sed quum singula loca, in quae Aeneas delatus est, enumerare et quid quisque sive poeta sive historicus de iis tradiderit percensere nihil sit aliud, quam actum agere [3]), ea tantum afferre in animo est, quorum in commemoratione quem Dionysius ante oculos habere potuerit aliis ex indiciis potest concludi. Iam antea Varronem eum fuisse dixi, cuius opera Dionysius respexisset, etenim hic de templo in insula Leucate ab Aenea exstructo exposuerat [4]), idem de oraculo Dodonaeo [5]),

---

[1]) c. 49 ext. De Aenea urbe cf. Heynii Exc. I. ad lib. II; Klausen l. c. p. 341. [2]) ap. Dionys. c. 72 init. [3]) cf. Heynii Exc. I ad lib. III; Klausen l. c. p. 352 seqq. [4]) Dionys. c. 50 p. 126 et Varro ap. Serv. ad Aen. VIII, 279: „Varro enim templum ab Aenea conditum ubi nunc Leucatem, dixit.“ [5]) Dionys. c. 51 p. 128 et Varro ap. Serv. ad Aen. III, 256: „Varro in secundo divinarum dixit: Oraculum hoc a Dodonaeo Iove apud Epirum acceperunt.“ Et haud dubie eidem Varroni sunt tribuenda ea, quae Serv. ad III, 466 de ratione oraculi edendi scripsit.

de Epiro [1]), idem haud dubie de Aeneae cursu Siciliam praeternavigantis [2]). Cui rei quae proxime adiuncta est historia de Aegesto [3]), ea a quo primo ita sit tradita affirmari vix poterit. Huius enim viri etsi omnes concedunt Troianam fuisse matrem [4]), de patre tamen dissentiunt, ex quibus haud dubie primus Timaeus Siculus is, qui a veteribus propter nimium fabularum studium notabatur [5]), Chrimisum fluvium in canem conversum nuncupavit patrem. Hunc, ut solet, excipit Lycophron [6]), Virgilius omittit canem [7]) Dionysius denique Troiano iuvene Aegestum natum esse exhibet. — Descriptis Aeneae erroribus res eius in Italia gestas exponit, quas maxime ex Catone et Varrone petitas esse manifestis testimoniis comprobari potest. Vel castra a Troianis in littore posita nomenque Troiae iis inditum Cato in originibus narraverat [8]); oraculi Dodonaei, quod eodem in littore ad finem est perductum, antea vidimus Varronem fecisse mentionem, quamquam a multis hanc rem memoratam esse inde debet colligi, quod variae de ea afferuntur opiniones: Aeneae a Iove Dodonaeo oraculum datum esse Varro scripsit [9]), a Harpya Celaeno Virgilius [10]), a Sibylla Erythria alii [11]).

---

1) Dionys. l. c. et Varro ap. Serv. ad Aen. III, 349. 2) Dionys. c. 51, p. 130; Ovid. Mett. XIII, 729. XIV, 72. Klausen p. 472. Alios secutus est Virgilius Aen. III, 563, 570 seqq. 3) Dionys. c. 52; Serv. ad Aen. V, 30. 4) cf. Polyb. XII, 3 et 24; Suid. v. *Τίμαιος*. 5) v. 471, 961 seqq. 6) v 38. 7) ap. Serv. ad Aen. I. 9. cf. ad VII, 158: „Sciendum civitatem, quam primo fecit Aeneas, Troiam dictam secundum Catonem.“ Liv. I. 1; Fest. v. Troia; Dio Cass. frag. Val. III, 2; Steph. Byzant. v. *Τροία*. 8) ap. Serv. ad Aen. III. 256. 9) III. 254. 10) ap. Dionys. c. 55, p. 140.

Mensas ambesas, quo prior oraculi pars spectavit, alii intelligunt de apio cibis subiecto, alii de placentis vel crustis in mensarum vicem adhibitis [1]). Alteram autem oraculi partem de duce quadrupede, quem sequi Troiani erant iussi, Dionysius cum priore coniungit, Virgilius Heleno [2]) et Tiberino [3]) enuntiandum committit. Cuius potissimum vestigia sit ingressus de sue alba agens pro certo statui vix poterit, quum tam copiosum Romanorum scriptorum fragmentum reservatum sit nullum, ut inde quis Dionysii auctor fuerit possis colligere, nec tamen puto a vero me aberasse de Varronis antiquitatibus cogitantem, in quibus haud dubie haec res, quae alio loco [4]) breviter tantum ab eo significata est, diligentius erat exposita; nam quae ex Fabio Maximo Serviliano tradita sunt congruentia illa cum quibusdam Dionysii verbis [5]), ea et tam pauca sunt, ut vix quidquam ex iis concludas, et apud alios poterant commemorari. Ceterum Q. Fabius Pictor quoque his de rebus idem fere quod Varro statuit, nam quae ex illo Diodorus servavit [6]), satis consentiunt cum Dionysii narratione c. LVI posita. De rebus inter Aeneam et Latinum aliosque reges gestis [7]) non una tantum erat fama, quae qualis apud Dionysium est

---

[1]) Virg. Aen. VII, 112; Lycoph. 1250; Strab. XIII, p. 608. Utramque sententiam habent Dionys. l. c. et Dio Cassius l. c. [2]) III, 389. [3]) VIII, 42. [4]) de L. L. V. § 144. Idem commemorant Virg. Aen. III, 389; Lycoph. 1257; Serv. ad Aen. I c. et ad VIII, 43; Hygin. Fab. 257; Varro de Re Rust. II, 4. [5]) Dionys. c. 56, p. 142 et Servilian. ap. Serv. ad Aen. I, 7. [6]) Frag. lib. VIII, ed. Dindorf. vol. II, p. 2, p. 188, frag. XIX. Klausenius l. c. p. II, p. 596 hoc fragmentum Numerio Fabio Pictori tribuit, sed vide Baumgart. „de Q. Fabio Pictore“ p. 27. [7]) c. 57—60, 64—66.

proposita, iterum ex Varrone mihi videtur ducta esse, certe hic somnio quodam factum esse tradidit[1]), ut Aeneas et Latinus, quum acies instructae constitissent, arma deponerent ac foedus icerent. Plane alia a Catone memoriae prodita erant. Hic enim Aeneam advenientem a Latino agrum et filiam uxorem accepisse narravit[2]), deinde autem cum ipso Latino in bellum implicitum atque hunc ante Turnum occisum esse, quae omnia quanto distent a Dionysii verbis legentes non fugient. Livius denique et ipse duplicem famam commemorat[3]), prior apud Dionem quoque Cassium[4]) et Ovidium[5]) legitur, posterior autem ad Dionysii sententiam propius accedens nec tamen eam referens fortasse ex Fabio Pictore hausta est. Sed quae orationes a Latino et Aenea c. LVIII habentur, eas et fictas esse facile intelligitur et eam indolem prae se ferre existimo, quam omnes fere apud Dionysium solent exhibere. Dictione quidem commendantur[6]), sed nimis verbosae neque ad eorum aetatem, de quibus agitur, aptae ac magis ad Dionysii dicendi artem comprobandam quam ad loquentium ingenia moresque detegendos compositae[7]), unde factum est, ut saepe

---

[1]) ap. Serv. ad Aen. III, 148: „Monitu nam eorum (Deorum) per quietem iussum (Aeneam) cum Latino foedus fecisse, eorum etiam monitu Latinum Aeneae se coniunxisse.“ Consentit cum Dionysio Iustin. XLII, 2 § 9. [2]) Serv. ad Aen. VI, 760; XI, 316; IV, 620; IX, 745; I, 267. [3]) I, 1. [4]) Frag. Vales. III, 3. [5]) Fast. IV, 883 seqq. [6]) Hac de causa apud veteres quosdam rhetor potius est appellatus, quam historicus, cf. Phot. Bibl. N. 61: *Διονύσιος δέ ποτε ὁ σοφιστής* et Suid. v. *Διονύσιος: Διονύσιος Ἀλεξάνδρου Ἁλικαρνασσεὺς ῥήτωρ καὶ παντοίως λόγιος.* [7]) Sciebat quidem ille melius de arte historica praecipere, quam suis praeceptis obsequi, cf. quae de orationum historiis

arbitreris Graecum rhetorem posterioris temporis exercitationes dicendi facere vel exemplaria futuris oratoribus praebere, non antiquum quendam Romanum mentem suam declarare. Quod si in sequentibus libris ita est manifestum, ut a nullo possit non intelligi, tamen hoc quoque loco facile cernitur; quam breviter enim et quam perspicue a Livio sunt dicta [1]), quae a Dionysio per totum caput extenduntur! Sed de his orationibus ex scriptoris ipso ingenio est iudicandum, quod quale sit quum neque huius loci sit neque virium mearum accurate exponere, hoc tantum dicam non vidisse eum, quomodo homines ex prisca vitae simplicitate paulatim ad civilem cultum sint deducti, civitates ordinaverint, leges atque iura descripserint, vel quomodo eiusdem populi ingenium aliis temporibus potuerit esse aliud, sed quam vitam ab aequalibus suis agi et quam indolem his et sibi insitam cognovit, eandem antiquissimis quoque hominibus tribuisse [2]). Aliud

---

insertarum natura disputat in libro de Vet. Script. Cens. c. II, p. 426. Sed hoc ipsum quosdam in errorem deduxit, ut quod Dionysius vel in praefatione antiquitatum vel in scriptis rhetoricis de historia componenda bene tradidit, id ab eo ipso historiam scribente esse observatum existimarint et ita saepe praeclarius quam verius de eo iudicarint, id quod Bussio quoque (de Dionysii Halicar. vita et ingenio, Berolini 1841) mihi videtur accedisse. [1]) I, 1. [2]) Qua de causa non usquequaque verum est, quod Weismannus (de Dionysii Halicar. vita et scriptis, Rintelii 1837) p. 13 dicit: „Eo erat vir acumine ingenii, ut ne unum quidem opus ederet, quo non permulta obscura illustraret, falsa refutaret, nova investigaret,“ quae verba ad scripta rhetorica tantum pertinere maluerim in quibus haud dubie iudicio satis recto usus est. Neque assentiri possum Schulino, qui p. 60 singulari acumine Dionysium historiam Romanorum tractasse statuit, et p. 43 dicit Dionysium Romanorum instituta pe-

autem est, acri iudicio carere. ita ut diversorum temporum diversae rationes te fugiant, aliud res fingere ac consulto legentibus fraudem facere, quod a quibusdam [1]) ei crimini datum equidem nullo modo in eum cadere patiar. Sed idem tamen propterea maximam adhibendam esse dico cautionem, ubi scriptor suum interponit rebus iudicium vel prudentiam civilem studet comprobare, atque diligentissime quod narrat et quod ipse addit, distinguendum, ne et ipsi imperitia eius decipiamur. Sed ut redeamus, unde digressi sumus, post narratas Aeneae res Dionysius Troianorum et Aeneae originem a Graecis studet deducere. Iam quod de illis dicit, hoc nescio an sit haustum ex Cephalone Gergythio, quo teste Dardanus ex insula Samothrace in Troianorum regionem se contulerat [2]). In describendo Aeneae genere nullum est dubium, quin

---

nitus cognita habuisse deque iis nunquam non accurate et circumspecte iudicasse. [1]) cf. Wachsmuth. l. c. p. 85: „Dionysius Urtheil über die Unähnlichkeit des Charakters, der Sitten und Sprache der Etrusker und Lyder verräth seine Blösse durch die Unkunde oder absichtliche Entstellung der späteren Umgestaltung Kleinasiens.“ Beaufort. l. c. p. 149: „Denis d'Halicarnasse raporte souvent comme certains des faits très douteux. Il mérite donc moins d'indulgence que Tite Live, et il est facile par là de se convaincre, que nonobstant la sincérité et l'exactutude, dont il se pare, il ne mérite pas plus de créance, que les autres historiens. et p. 129. [2]) Dionys. c. 61 et Steph. Byzant. v. *Ἀρίςβη*: „*Κεφάλων δέ φησιν, ὅτι Δάρδανος ἐκ Σαμοθράκης ἐλθὼν εἰς τὴν Τρῳάδα τὴν Τεύκρου τοῦ Κρητὸς θυγατέρα γαμεῖ Ἀρίσβην.* Veterum locos, qui ad hanc fabulam pertinent, collegit Heynius Exc. VI ad Aen. lib. III, quibus addi potest Hellanicus ap. Eustath. Od. *ν*, p. 1528.

Homerum sit secutus [1]), praeter quem Hellanicum quoque fortasse inspexit similia tractantem [2]).

§ 6.

De regibus Albanis.

Recte viri doctissimi Niebuhrius et Wachsmuthius [3]) Albanorum regum seriem tempore recentiore, ut spatium inter Aeneam et Romulum expleretur, fictam esse statuerunt. Nomina eorum vel a locis deducta sunt, vel ita, ut priorum nomina repeterentur, orta. Videntur autem ex uno eodemque fonte manasse, etenim si omnium scriptorum, qui quidem de iis tradiderunt, collegeris testimonia [4]), in tribus tantum quatuorve regum nominibus eos inter se dissentire intelliges, eumque dissensum in iis scriptoribus, quorum auctoritatem imprimis sequimur, ad duo nomina redire, reliquas autem discrepantias a librariis esse profectas. In septimo enim loco Livius Atyn ponit [5]), Dionysius cum ceteris fere omnibus Capetum [6]), in duodecimo Romulum [7]), Dionysius [8]) autem solus Alladem. In tempore autem definiendo, quod hi reges expleruut, maior est opinionum varietas: Virgilius inter Albam et Romam conditam trecentos annos ait intercessisse [9]), id quod

---

[1]) Il. υ, 214 seqq. cf. Diod. Sic. IV. 75. Apollod. III, 12. Ovid. Fast. IV, 30 seqq. [2]) cf. frag. CXXXX, ap. Sturz p. 164. [3]) Niebuhr. p. 207, Wachsmuth. p. 106. [4]) Virg. Aen. I, 261 seqq. et VI, 760. Ovid. Met. XIV, 609 seqq. Liv. I, 2; Dionys. I, 64, 65, 70, 71; Diod. Sic. ap. Euseb. Chron. lib. I, c. 46 p. 210—214 ed. Mai; Appian. in Photii Bibl. t. I, p. 16 ed. Bekk. Georg. Syncell. Chron. vol. I, p. 322 et 333, 347 et 360 ed Bonn; Zonares t. II. p. 3, 23 ed. Wolf; Cassiod. Chron. p. 31; [5]) l. c. [6]) c. 71 init. [7]) l. c. [8]) l. c. ext. [9]) I, 273.

Livio quoque et Iustino confirmatur [1]), Dionysius autem plures annos statuit, alii aliter rem narrant. Iam vero si de fontium genere quaeris, quod Dionysius in horum regum historia ante oculos habuit, Romani sunt scriptores, quibus tamen, quod res Graecae erant commemorandae, Graeci quoque sunt adiuncti iique omnes nomine indicati. Ac primum quod de Ascanii bello cum Mezentio gesto narrat, hoc unde haustum sit non liquet, nam alia Varro tradit [2]), quem Ovidius sequitur [3]), alia Cato [4]), Plutarchus illas res Aeneae adiungit [5]), Virgilius in transcursu tantum significat [6]). In Albaé Longae origine situque ac prodigiis, quae Deorum simulacra eo translaturis acciderant, iterum Varronis vestigia eum ingressum esse satis perspicuum est. Quam coloniam qui scriptores commemorant, ita maxime differunt inter se, ut nominis causam alii putent fuisse aliam [7]). Unus Conon longius recedit a ceteris ab Aenea auctore, non ab Ascanio, urbem repetens [8]). Iam vero Penates quales fuerint Timaeum secutus exponit, qui tamen quum ab illius regionis incolis eorum notitiam sibi comparasset [9]), verum haud dubie non audivit, nam solis sacerdotibus Penates adspicere licebat [10]), neque cum Dionysio, qui postea [11]) id, quod ipse viderit, narrare se dicit, consentit. Sed veros Penates ne hic quidem describit,

---

[1]) Liv. I, 29 ext. Iustin. XLIII, c. 1 § 13. [2]) ap. Plin. N. H. XIV, 14. [3]) Fast. IV, 877 seqq. [4]) ap. Macrob. III, 5. [5]) Quaest. Rom. p. 115. [6]) Aen. VIII, 7. [7]) Dionys. c. 66; Varro de L. L. V § 144; Dio Cass. l. c; Liv. I, 3. Iustin. l. c. c. 2. Diod. Sic. ap. Syncell. p. 194. [8]) Narr. 46. [9]) cf. Dionys. c. 67, p. 170: *πυθέσθαι δὲ αὐτὸς (Τίμαιος) ταῦτα παρὰ τῶν ἐπιχωρίων.* [10]) Serv. ad Aen. III, 12: „Dii Penates, ... quos nisi sacerdoti videre fas nulli sit.“ [11]) c. 68.

quippe qui non ignorarit aditum ad eos praeter Lavinii incolas patere nemini [1]), vel etiam de iis quaerere nefas putarit [2]). Quae quum ita sint, verbis, quibus Deorum simulacra ornata erant, deductus in errorem Penates esse affirmavit, qui Castores erant [3]). Deinde Deos magnos sive Penates — quidam enim nullum discrimen statuunt [4]) — ex insula Samothrace in Phrygiam allatos atque inde ab Aenea in Italiam esse translatos existimat [5]) secundum Callistratum, Satyrum, Arctinum, id quod multi Romani quoque senserunt [6]). His allatis fabulam, quae de Silvio obtinebat, commemorat, in qua quem fontem adhibuerit non significat quidem, sed Varronem vel Catonem fuisse admodum verisimile est. Haec narratio si quaeris quomodo a reliquis scriptoribus sit proposita, paulum tantum eos dissentire vides atque omnes id tenere, Silvium propterea, quod in silva natus et educatus esset, hoc nomen accepisse [7]). Sequentium regum historia non alia fere est, nisi ieiuna nominum enumeratio perpaucis tantum fabulis ornata ac variata. Sic Dionysius Tiberinum dicit in Albulam flumen deiectum, cur Tiberis appellaretur, causam fuisse [8]), Alladem propter Deorum

---

[1]) c. 57. [2]) c, 67 ext. [3]) cf. Ambrosch. Andeutungen und Studien p. 133 seqq, et de scriptura loci difficillimi (c. 68, p. 171) idem l. c. p. 231 seqq. [4]) Varro ap. Serv. ad Aen. I, 378; II, 296; III, 12 et ap. Macrob. III, 4. [5]) c. 68 et 69. [6]) Varro ap. Serv. ad Aen. I, 378; VII, 207; II, 325; Nigidius et Labeo ap. Macrob. III, 4. Virg. Aen. II, 293 seqq.; Ovid. Fast. I, 527; Seneca de Benef. III, 37. Ex Graecis addi potest Lycoph. v. 1261. [7]) Liv. I, 3; Virg. Aen. VI, 763 et Serv. a. h. l.; Ovid. Fast. IV, 40; Fest. v. Silvii; Dionys. c. 70, p. 176. [8]) c. 71, p. 178; Varro de L. L. V, § 30, qui alias quoque nominis explicationes profert; Virg. Aen. VIII.

contemtum undis cum domo sua interisse[1]), id quod haud dubie eam, quam Appollodorus de Salmoneo indicat[2]), famam refert, Aventinum denique ei colli, in quo sepultus esset, nomen Aventini dedisse[3]). Quarum omnium rerum, quin Dionysio fontes uberrimi varia fuerint Varronis opera, dubitari nequit, ea quae ipse Cicero omnium divinarum-humanarumque rerum nomina, genera, causas, quae sedem regionum, locorum aperuisse dicit[4]).

§ 7.

De Urbe condita.

Priusquam ad vulgarem famam Romae originem exponit, quae fabulae minus probabiles de ea et apud Graecos et Latinos ferebantur, tradit. Illi enim postquam cognoverant quidem Romae potentiam, nec tamen quaenam eius primordia ipsi Romani statuerent audiverant, haec suis commentis variarunt atque se quoque aliquo certe modo Urbis auctores nuncuparunt. Qua in re quum suam quisque opinionem sequeretur, multae eaedemque diversae sententiae in medium sunt prolatae, quarum haud exiguam partem ex Dionysio c. LXXII fontes suos nominante comperimus. Praeter hos alios quoque de Romae origine scripsisse et ex iis, quae Dionysius initio capitis sequentis dicit, et

---

330 seqq.; Ovid. Fast. IV, 47, Met. XIV, 611 seqq.; Serv. ad Aen. III, 500; Fest. v. Albula et v. Tiberis. [1]) p. 179; Ovid. Fast. IV, 49; Liv. I, 3, qui aliud regis nomen exhibent eumque fulmine ictum esse narrant. [2]) l. c. I, 9 § 7. [3]) Varro de L. L. V, § 43, sed frag. ed. Bipont. p. 236 aliam nominis originem memorat; Liv. l. c.; Ovid. l. c.; Fest. v. Aventinus. [4]) Acad. quaest. I. 3.

ex Plutarcho [1]) et Festo [2]) multarum narrationum ad hanc rem pertinentium collectore potest intelligi. Omnium autem maxime Graecis haec ratio erat comprobata, ut Ulyssem in priscam Romanorum historiam inferrent, quo quidem in genere iam Hesiodus eum Latini patrem nominat [3]), alii modo Romum [4]), modo Romanum [5]), Ulyssis filios fuisse, alii Aeneam Ulyssis comitem in Italia urbem condidisse nomenque Romae dedisse tradunt [6]), quod Troiana quaedam Rome ibi navibus ignem iniecisset. Eodem illud quoque pertinet, quod secundum quosdam Aeneas cum Ulysse foedus icerat [7]). Alii denique alio modo Romanis Graecos adiunxerunt, quae tamen commenta hic multis exponere non opus est [8]). Graecis scriptoribus Dionysius addit Romanos, quorum fontem annales maximos fuisse ait [9]), ex quibus quis quodque tradiderit affirmari vix poterit, quum neque Dionysius neque alius historicus a quo profectae sint indicent. Scio quidem ab Ennio Naevioque Romulum et Remum Aeneae nepotes nuncupatos esse [10]), quam quidem famam Dionysius quo-

---

[1]) Rom. c. 2. [2]) v. Roma. [3]) Theog. v. 1011. [4]) Xenagoras ap. Dionys. c. 72; ex Dionysio Syncellus p. 363 sua hausit; cf. Steph. Byzant. v. *Ἄντεια* et v. *Ἀρδέα*. [5]) Plut. l. c. [6]) cf. Auctor historiae sacerdotum Argivarum, qui quin intelligendus sit Hellanicus dubitari nequit, (cf. Dionys. c. 22) et Damastus Sigensis ap. Dionys. l. c.; Polyaen. VIII, 25 § 2. [7]) Lycoph. v. 1242. [8]) cf. Fest. l. c.; Dionys. l. c.; Plut. de Virt. Mul. c. 1; Etym. M. v. *Καπύη* et v. *Ῥώμη*. [9]) c. 73, p. 184: *Ἐκ παλαιῶν μέντοι λόγων ἐν ἱεραῖς δέλτοις σωζομένων ἕκαστός* (sc. *τῶν Ῥωμαίων*) *τι* (secundum cod. Vat. et Chis.) *παραλαβὼν ἀνέγραψε*. [10]) ap. Serv. ad Aen. I, 277: „Naevius et Ennius Aeneae ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradunt, et ad VI, 777: „Romulus secun-

que commemorat [1]), sed hos, quorum reliqua narratio sit alia, respexisse non potest. Ceterum quod Dionysius geminos illos fratres ad Aeneam refert patrem [2]), id apud Plutarchum quoque legitur [3]), ubi iam divinum auxilium, quo illi a mortis periculo sunt liberati, intelligis significari.

His allatis Romuli et Remi historiam ita enarrat, ut vulgari opinione recepta erat. Multi quidem fontes, quod res ab omnibus haud dubie annalium confectoribus erat celebrata, ei suppetebant, ex quibus maxime Q. Fabium Pictorem, scriptorem antiquissimum [4]), secutus est, eum cuius quidem negligentiam in temporibus exquirendis vituperat [5]), eiusdem vero fidem alio loco tanti facit [6]), ut eum solum testem esse gravissimum fateatur. Quem si Plutarchus dicit [7]) Dioclis Peparethii vestigia pressisse, qui primus has fabulas cum Graecis communicasset ac primus Romae originem descripsisset [8]), minus considerate iudicavit. Huic enim scriptori, cuius neque aetatem novimus neque librum, si tanta auctoritas infuisset, Dionysium puto ubi auctores suos commemorat, locum concessurum et alios quoque eius mentionem facturos fuisse. Altero loco, quo Plutarchus eum affert, Fabio postponitur, unde quis hunc potius Dioclis fontem fuisse possit coniicere. Certe Dioclem illas fabulas non invenisse, sed aliunde haustas primum Graecis proposuisse tantum Plutarchi verbis videtur indicari: „Τὰ μέν κυριώτατα πρῶτος

---

dum Ennium refertur inter Deos cum Aenea, dicit namque Iliam fuisse filiam Aeneae, quod si est, Aeneas est avus Romuli.“ 1) c. 73, p. 184. 2) c. 73 init. 3) Rom. c. 2. 4) cf. Liv. I, 44; II, 40. Dionys. I, 6, p. 18; VII, 71, p. 1483. 5) IV, c. 30, p. 717. 6) VII, c. 71, p. 1483. 7) Rom. 3 init. 8) I. c. c. 8 ext.

εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξέδωκεν" [1]). Sed Plutarchus eos inter se consentire videns Dioclem, fortasse quod Fabio erat paulo antiquior, huius fontem nuncupavit. Iam vero hunc Dionysius inde a c. LXXIX demum nominat auctorem, in iis autem, quae antecedunt, quem sit secutus equidem non invenio. Fabium ab eo ibi inspectum non esse e Plutarcho [2]) colligi potest, qui eius vestigia ingressus et causam, cur Numitor regno privatus sit, exponit aliam, neque huius de filio interfecto ab Numitore quidquam memoriae tradit. Ubi autem Dyonisius varias opiniones affert, aliis ex indiciis ad quem scriptorem singulae pertineant statuere possumus. Ceterum quod iam antea dixi Dionysium minime omnibus in locis auctorum verba fideliter reddere, sed sua iis immiscere, id in hac quidem narratione tam apertum est, ut neminem, qui eam legerit, praeterire possit [3]). Iam, ut rem diligentius inquiramus, primum Dionysius, cum quo longe plurimi consentiunt [4]). Numitorem dicit a fratre vi, Fabius Pictor, quemadmodum ex Plutarcho intelligitur [5]) arte quadam depulsum esse. De Romuli Remique patre Dionysius quid sibi videatur non aperit commemorans tantum plurimos originem eorum ad Martem referre [6]), alios autem ad ipsum Amulium [7]), neque de Rhea Silvia certi quidquam statuit, sed secundum quosdam, Ennium

---

[1]) l. c. c. 3 ext. [2]) l. c. [3]) Conferantur ea, quae de virginibus Vestalibus addit c. 76, p. 194. [4]) Liv. I, 3 § 10; Iustin. XLII, 2 § 1; Flor. I, 1 § 4; Serv. ad Aen. I, 273; Strab. V, p. 229; Dio Cass. frag. Vales. 4. [5]) Rom. c. 3. [6]) cf. Varro frag. p. 364 ed. Bipont.; Liv. I, 4 § 2; Virg. Aen. I, 274 seqq.; Ovid. Fast. III. 9 et 21; Sil. Ital. XII, 542; Val. Pat. I, 8; Flor. I, 1; Eutrop. I, 1. [7]) cf. Dionys. c. 77 init.

fortasse respiciens [1]), morte eam affectam, secundum quosdam severe custoditam, id quod Fabius Pictor tradiderat [2]), narrat. Deinde eundem Fabium secutus, cum quo plerique faciunt [3]), ex vulgata fama fratres narrat in Tiberim deiectos sed mirifice servatos atque a Faustulo educatos esse, deinde autem Remum a Numitoris pastoribus captum et ad Numitorem ductum, denique variis rebus gestis Amulio interfecto Numitorem in regnum restitutum. Iam huius narrationis, cui et ipsi Dionysius de suo quaedam addidit [4]), aliquo in loco eum satis negligenter se gessisse et contra se dixisse facile cerni potest. Remus enim Numitorem de sua et de fratris origine facit certiorem c. LXXXI p. 211, quam tamen unde scire potuit, quum eo absente (c. LXXX p. 209) Faustulus soli Romulo rem aperuisset? In quo Plutarchus multo cautiorem se exhibuit, nam apud hunc quoque Romulus solus ex Faustulo genus suum cognoscit [5]), sed capite antecedenti Remus Numitori nihil dicit nisi se ac fratrem usque eo Faustulum habuisse patrem, tractum vero a pastoribus ad regem audisse se sermones quosdam,

---

[1]) ap. Porphyr. ad Hor. Carm, I, 2, 18. Praeterea cf. Ernesti ad Sil. Ital. l. c. [2]) ap. Plut. l. c. [3]) ap. Dionys. c. 79; Liv. I, 4 § 4; Cic. de Republ. II, 2; Iustin. XLIII, 2 § 4; Flor. l. c.; Ovid. Fast. II, 385 seqq. III, 51; Virg. Aen. VIII, 631; Plut. Rom. c. 3, 6, 7, 8, 9; Dio Cass. l. c. Ceterum Fabii narrationem ap. Dionys. c. LXXXII—LXXXIV propositam ad verbum reddidit Nic. Damas. p. 70 ed. Orelli, et Plutarchum exscripsit Zonares VII, 2. [4]) cf. c. 79: καὶ τέμενός ἐστιν αὐτοῦ πλησίον, ἔνθα εἰκὼν κεῖται τοῦ πάθους, λύκαινα παιδίοις δυσὶ τοὺς μαστοὺς ἐπέχουσα, χάλκεα ποιήματα παλαιᾶς ἐργασίας, quod quidem sacellum a U. c. 456 (cf. Liv. X, 23; positum erat. [5]) c. 8.

qui ad ipsorum originem mirificam pertinerent. Neque tamen cum Fabio omnes scriptores consenserunt, nam plane alia ii statuerunt, qui fratrum res fabulae colore privare atque ad historiae veritatem studuerunt accommodare, cuius opinionis etsi Dionysius fonte non nominato mentionem facit, tamen auctorem esse Catonem habendum Servius docet[1]). — Iam vero quum de Urbe condenda dicendum sit, Dionysius primum quales coloni fuerint quove modo a Numitore adiuti subtiliter exponit[2]) sua ille quidem opinione ductus atque non potuisse se de rebus antiquissimis recte iudicare denuo probans. Multo simplicius et ad persuadendum aptius Livius eandem rem tractat[3]), neque Plutarchus a vulgata fama, quam Romani de maioribus suis tenebant, recedit[4]). Quem tamen in describenda Romae origine sit secutus pro certo affirmari non potest, quum neque Dionysius neque alii, qui Urbis primordia exposuerunt, auctores suos nominent. Videntur autem antiqui fontes, quibus posteriores scriptores usi sunt, plane hac de re inter se consensisse, nam certamine exorto, quo loco Urbs aedificaretur, fratres auguriis rem disceptandam reliquisse, atque Remum avium tempore, Romulum numero fuisse superiorem omnes uno ore tradunt[5]). Sed de Remi morte dis-

---

[1]) ad Aen. I, 273 et Cato ap. Macrob. I, 10. Eandem opinionem attingunt Plut. Rom. c. 4; Quaest. Rom. p. 105; Liv. I, 4 § 7; Gell. VII, 7; Licinius Macer ap. Macrob. l. c. [2]) c. 85 init. [3]) I, 6. [4]) Rom. c. 9; cf. Strab. V, p. 230. [5]) Dionys. c. 86; Varro ap. Censorin. de Die nat. c. 17; Liv. I. 5 ext. et 6 init. Ennius ap. Cic. de Divinat. I, 48; Gell. VI, 6; Ovid. Fast. IV, 815 seqq. Plut. Rom. c. 9; Diod. Sic. Excerp. Vat. V. Aliud statuit Dio Cass. l. c.

sensus est, quum alii eum ludibrio fratris novos transiluisse muros et inde ab irato Romulo vel Celere operis praefecto quodam interfectum esse dicant[1]), quam famam Livius vulgatiorem nuncupat, alii eum ac Faustulum, quum fratres propter augurium illud cum altercatione congressi essent, in turba ictos interisse[2]). Quod facinus ut excusaretur, Dionysius auctore nescio quo Romulum vehementissime de fratris obitu afflictum, quin etiam sibi mortem illaturum facit[3]), quam opinionem si solus haberet, equidem non dubitarem eius ingenio adscribere, quippe quem passim Romanorum quodam studio captum deprehendas[4]), attamen Ovidius quoque Romuli tristitiam commemorat[5]). neque minus Florus ambigit[6]), num iussu fratris Remus occisus sit, cuius ad manes placandos Ro-

---

[1]) Liv. l. c. Ovid. Fast. v. 836; Ibis v. 635; Plut. l. c. c. 10. [2]) Dionys. c. 87; Liv. I. 7 init. Strab. l. c. [3]) c. 87, p. 226: „*Αὐτὸς δὲ (sc. Ῥωμύλος) ἀπὸ λύπης τε καὶ μετανοίας τῶν πεπραγμένων παρεὶς ἑαυτὸν εἰς ἀπόγνωσιν τοῦ βίου τρέπεται.*“ [4]) lib. II, c. 2 causam belli inter Albanos et Romanos gesti in Albanos transfert, Livius contra (I, 22) in unum Tullum Hostilium. Lib. VIII, c. 67 multis verbis ingentem eandemque Romanis gloriosam pugnam describit, Livius II, 40 cum Volscis aequo Marte discessum esse narrat. Itaque Schulinus l. c. p. 72 sententiam suam paulum restringere debebat, neque ab adulandi studio Dionysium plane alienum putare. Ipse quidem dicit c. 6, p. 19: „*Ἐμοὶ δὲ, ὃς οὐχὶ κολακείας χάριν ἐπὶ ταύτην ἀπέκλινα τὴν πραγματείαν, ἀλλὰ τῆς ἀληθείας καὶ τοῦ δικαίου προνοούμενος κ. τ. λ.*“ Sed multi multa de operum suorum indole dicunt, quae ipsi omnium minime faciunt. [5]) Fast. IV, 845 seqq.; V. 470 seqq. [6]) I, 1 § 6. Cicero autem de Off. III, 10 Remi necem neutiquam excusat.

mulum dicunt Lemuria instituisse[1]. Denique in Urbis condendae ratione Catonem hac de re in originibus tractantem[2] vel Varronem videtur inspexisse[3].

Haec erant, quae de fontibus, quibus Dionysius in primo antiquitatum Romanorum libro usus est, dicenda mihi videbantur.

---

[1]) cf. Porphyr. ad Hor. Epp. II, 2, 209. Alium honorem mortuo Remo habitum a fratre memorat Serv. ad Aen. I, 276: „Remo scilicet interemto, post cuius mortem natam constat pestilentiam. Unde consulta oracula dixerunt, placandos esse manes fratris extincti, ob quam rem sella curuli cum sceptro et corona et ceteris regni insignibus semper iuxta sancientem aliquid Romulum ponebatur, ut pariter imperare videretur. [2]) cf. Serv. ad Aen. V, 755. [3]) cf. de L. L. V § 143.

VITA.

Natus sum Ioannes Kuschel, fidei catholicae addictus, postridie Calendas Maias anno huius saeculi vicesimo tertio, Wratislaviae patre Ignatio, praefecto aerarii, matre Elisabetha e gente Neumanna. Primis litterarum elementis imbutus sum schola, quae hic ad ecclesiam St. Ioannis instituta est. Anno huius saeculi tricesimo tertio in gymnasium regium catholicum Vratislaviense receptus sum, quod eo tempore auspiciis viri doctissimi Elvenich, directoris et professoris publici philosophiae in universitate litterarum, vigebat, nunc viro doctissimo Wissowa directore et professore regio floret. Praeceptores ibi fuerunt mihi benevoli Wissowa, Brettner, Stinner, Zastra, Stenzel, Rotter, quibus gratiam semper maximam habebo.

Anno MDCCCXLI, testimonio maturitatis accepto, a viro doctissimo Elvenich, tum rectore magnifico, rite receptus inter cives academicos apud philosophos decano, V. Cl. Thilo, nomen dedi. Inde interfui scholis,

quas habebant Viri Cll. DD. Schneider, Ambrosch, Haase, Stenzel, Kutzen, Braniss, Thilo, Elvenich, Bernstein, Nees ab Esenbeck, Movers, Guhrauer, Iacobi, Freitag, Behnsch. Praeterea contigit mihi, ut per biennium exercitationibus seminarii regii philologici, quod cura et moderatione directorum doctissimorum Schneiderii et Ambroschii floret, et Kutzenii exercitationibus historicis per annum interesse possem.

Quibus omnibus viris tametsi gratiam referre tantam non possum, quantam debeo, habebo tamen tantam, quantam maximam animus meus capere potest.

Theses, quas ad disputandum propono, hae sunt.

I. Graecae linguae in gymnasiis nostris, si ad Latinam respexeris, curam minorem tribui.

II. Soph. Trach. v. 606 ed. Wund. recipienda videtur Billerbeckii coniectura τῷδ' ἐπὸν μαθήσεται.

III. Hor. Od. II, 20, 6 sic interpungo:

Non ego, quem vocas
Dilecte, Maecenas, obibo.

IV. Hor. Ep. I, 2, 4 scripturae „planius" alteram „plenius" praefero.

V. Hor. Epp. II, 2, 199 sic lego:

Pauperies immunda modo ut procul absit, etc.